DE SISTRIS.

DE SISTRORUM FIGURIS AC DIFFERENTIA

Ad Illuſtriſsimum D.

D. LEONEM STROZZA

OB SISTRI ROMANI EFFIGIEM COMMVNICATAM,

DISSERTATIO

AUCTORE

D. BENEDICTO BACCHINO

Monacho S. Benedicti apud Divum Joh. Evangeliſtam, S. Officii Conſultore, ac Sereniſſimi RAYNUCII II. Parmæ, Plac. &c. Ducis Theologo.

BONONIÆ, M. DC. XCI.

Ex Typographia Piſariana. *Superiorum permiſſu.*

LECTORI.

Abſente Auctore tot ſphalmata irrepſere, vt cogitatum ſit de opere Typographorum incuria conſpurcatiſſimo piperi deputando. Verùm Auctor ipſe de tua humanitate fidens, & Amicorum conſilio obſecundans, conſenſit vt in publicum emitteretur ſequenti addita emendatione.

				ſphalmata	*emendata*
pag.	7	lin.	24	ἄνωδεν	ἄνωθεν
		lin.	25	φδειρμένη	φθειρμένη
pag.	8	lin.	9	Ac cum	At cum
pag.	9	lin.	19	rem ait	cum ait
		lin.	20	ἱστερδίσιν	ἐστορδίσιν
pag.	10	lin.	2	clatiùs	clariùs
pag.	12	lin.	23	Aegyptio	Aegyptia
pag.	15	lin.	19	Ἀρχεχέρσιδεν	Ἀρχεχέρσιθεν
pag.	17	lin.	20	Veſeni	Veſeui
pag.	18	lin.	14	eandem	eadem
pag.	19	lin.	5	Myſterio	Myſteria
		lin.	8	At nomen	At nonne
pag.	21	lin.	26	mos ſolemne	mos ſolemnis
pag.	24	lin.	18	conuenientia	conuenientiam

Leuiuſcula tu ipſe corrige.





SISTRVM ex œre repertum Via Aurelia in Suburbana Villa Ill.mi Laurentij de Corsinis, et ab eodem dono datum D. Leoni Strozzæ, cuius in Museo hodie asseruatur





I. Ex Gemmis Augustini. II. III. Ex Casalio. IV. Ex Io: Macario. V. VI. Ex Spanhemio. VII.
XIII. Ex Grutero. XIV. Ex Sponio. XV. Ex Cupero. XVI. Ex Pignorio. XVII. Ex




io. VII. VIII. Ex Patino. IX. Ex Grutero. X. Ex Pignorio. XI. XII. Ex Sponio
I. Ex Gemmis Augustini. XVIII. Siſtrum Bossianum



Apud Petrum Stephanonium



DIS MANIBVS
C·LARINATIS·ATTICI
QVOD · SI · QVIS · OSSA
EIVS·PREIECERIT·AVT
HANC·ARAM·APSTVLERIT
HABEBIT· SACRA ISIDIS
ILLIVS QVIETA IRATA



In Ædibus Delphinorum




EFFICIES SISTRI ÆGYPTIJ
Quod ſeruatꝫ in Muſeo Fran Gualdi Ariminenſis
a Hieronymo Aleandro explicata
In Ædibus Matheiorum

Illustriss., ac humaniss. D.

D. LEONI STROZZÆ

D. Benedictus Bacchinus
S. P. D.

AEQVI, bonique consulas oro si seriùs quàm credideras, herclè quàm ipse decreveram meam fidem liberem, qua dudùm promiseram me nonnulla scripturum de egregio tuo Isiacæ superstitionis Monumento, cujus graphicam Iconem, additâ alterâ Trajani Vultum exprimente, misisti. His enim curis præpedior, ac in diversa abnitente genio trahor, ut vix quandoque horis subcisivis species recolligere possim, ac per

breviſſima temporis ſpatia Muſis, mihique vacare. Quod quidem ægerrimè ferrem, niſi ob genus Vitę auſpicante Numine delectum, mihi alieno arbitrio vivendum ſcirem, ac alienis quibuslibet votis ſerviendum.

Verùm ne moras excuſans, & moras nectens, eodem peccato peccem, Siſtrum arripio, pauca in ejus illuſtrationem ſcripturus, ac potiſſimùm ea, quę fortè Clariſſimis Viris, qui de hocce argumento egere, intacta relicta ſunt: ut quid enim crambes recoctas recoquerem? Hæc igitur quantùm per me poterit diſtinctè diſcutienda reor. Cujus figurę Siſtrum apud Iſiacorum Myſteriorum cultores; inde hypotheticè tuum, Aegyptiacum ne fuerit, an Romanum? Duo hæc illuſtrans, ac aliud veluti agens, quę pertinent ad Felem, ad Virgulas tranſiectas, & ad lateralia parerga explanabo, nec non alia nonnulla haud fortè injucunda ad progreſſum Iſiacæ ſuperſtitionis, & ad diſtinguenda Romana hujuſmodi monumenta ab Aegyptijs, ſpectantia.

Agè itaque theticum proſequamur; nil enim de Siſtri uſu, nil de nominis ethimologia dicendum reor, cum toties repetita, ac tranſcripta ab aliis hęc ſint, vt de eis reſpondere poſſit Lippus, ac Tonſor. Ad figuram quod pertinet,

no-

nosti tot penè Scriptorum ſententias eſſe, quot Capita. Illud tamen ſatis conſtare arbitror non unam fuiſſe, ſed diuerſam pro Regionum, Iſiacorum, Opificum, ac temporum genio; quod ut ob oculos inficias eunti ponam, exhibeo nonnullorum Siſtrorum figuras vericulo in æs inciſas, quas in hanc rem hinc indè ex antiquaria ſuppellectile collegi. Vides Siſtra anguliformia, ovalia, virgulis munita quadrilateribus, variè manubriata, virgularum numero aucta, vel diminuta, pleraque omni ſymbolo deſtituta, bina, quę ex Auguſtini gemmis accepi Loto exornata. Hinc toto, vt ajunt, cœlo aberrare ſentio à vero, qui de hac re agunt ità, ut unius formæ immutabilis Siſtrum fuiſſe autument, vel eodem ſemper ornatu conflatum contendant. Noviſti porrò quanta Hieronymus Boſſius congerat in ſuo Iſiaco, ſive opuſculo de Siſtro, ac quantùm laboret ut ſuam de Siſtri figura ſententiam firmet aliis exploſis; qua quidem in re, licet jure illos ad partes vocet, qui Siſtrum cum Crotalis, Cimbalis, & cæteris hujuſmodi crepitaculis confundunt; confidentiùs tamen quàm par eſſet ſibimetipſi gratulatur de adinventa vera, ac genuina deſcriptione, quam hîc operosè ab illo confectam recolere ne graveris. Ea eſt hujuſmodi; *Siſtrum Crepita-*

cu-

culum ovale est, ex arguti metalli laminâ factum, cujus apsis superior tribus insignitur figuris, una scilicet Eluri humana facie in medio posita, altera Isidis in dextero latere, tertia Nephtios in sinistro. In ima verò sui parte manubrium habet, quod dum concutitur, virgulæ quædam ex eodem metallo factę, & per laminæ forulos transiectæ adunco utrinque cuspide laminam ipsam percutiunt, quæ mox sonorum edit tinnitum. Hæc ille, figuram adiiciens, sed ab allata descriptione in nonnullis discrepantem, etenim in superiori parte haud ovalis est, sed trinos angulos efficit; Eluri verò facies nullatenùs ad humanam accedit. Hinc per partes descriptione perpensâ, concludit, in hæc verba, de inventa veluti, ac è puteo eruta veritate sibimetipsi plaudens; *quæ cum ità se habeant nostra omninò Sistri descriptio habenda est pro omnium certissima, ac pro omnium verissima.* Mihi verò illud dubio procùl omni certissimum, ac verissimum esse videtur, à Bossio scilicet allatam descriptionem ità demum certissimam, ac verissimam esse, si non de quolibet Sistro, sed de nonnullis intelligatur exhibita. Omnibus quidem commune quod ad ovalem accederent figuram, quod laminâ constarent, ac Manubrio, quod motales virgulæ accederent. Cæterum sępissimè nullo parergo

go

go exornabantur, ut probant figuræ in superioribus allatæ. Insuper apsis ad Bossij gustum efformata frequentissimè omninò desiderata est; Nephtios, ac Isidis Vultus non semper affixi fuerunt, & cum adiiciebantur, infrà motales virgulas locum habuere. Eluri etiam facies rarò ad humanam accessit. Quæ quidem singula si perpendantur seorsìm, patent.

Etenim quamuis non negaverim apsidem Bossianam quandoque obtinuisse, & quidem anguliformem; frequentiùs tamen Sistri summam partem in emiciclum conformatam extitisse, patet tùm ex allata Sistrorum Tabella, tum ex Sistro quod Cl. Pignorius in egregio ad Mensam Isiacam Commentario affert ex Museo Francisci Gualdi Ariminensis, ac rursùm exhibet in aureo *de Servis* Opere. Plutarchus in Libello de Iside, ac Osiride, ea superiori Sistri parte Lunæ Cęlum significari tradit, sub quo omnia ob generationem, ac interitum concutiuntur, quòd ea rotunda est, seu circuli portionem imitatur. En ipsa verba, quæ miror à Bossio in medium allata, tanquam sententiæ suæ firmandæ aptissima; τοῦ δὲ σείςρου περιφεροῦς ἄνωθεν ὄντος ἡ ὄψις περιέχει τὰ σειόμενα τέτταρα. Καὶ γὰρ ἡ γινομένη, Καὶ φθειρομένη μοῖρα τοῦ Κόσμου, περιέχεται μὲν ὑπὸ τῆς σεληνιακῆς σφαί-

σφαίρας, Κινεῖται δὲ ἐν αὐτῇ πάντα, ἐ μεταβάλλεται διὰ τῶν τεττάρων στοιχείων, πυρος, καὶ γῆς, καὶ ὕδατος, ἐ ἀέρος. *Siſtri autem ſuperiori parte rotundi conſpectus admonet de quattuor corporum concuſſione. pars namque Mundi obnoxia ortui, & obitui globo Lunari continetur, ac in ea cuncta moventur, ob quattuor elementa ignem videlicet, terram, aquam, aerem.* Quæ manifeſtè Boſſianæ ſententiæ repugnant. Ac cum ſemel in præconceptam opinionem impegit Vir iſte, nec cæteros intelligit Auctores, quos citat. Laudat Joannem Bernartium, ac tanquam Bernartii foetum deſcriptionem, quam Is in Scholiis ad lib. 9. Statii Theb. exhibet multis commendat, cum tamen Bernartius apices ipſos ex Apul. lib. 11. Metamorph. deſcripſerit, ubi Madaurenſis Iſidis ornatum ſibi adhuc ſub Aſini perſonâ degente apparentis, ob oculos ponens, ait; *dextera quidem ferebat æreum crepitaculum, cujus per anguſtam laminam in modum balthei recurvatam trajectæ mediæ pauculæ virgulæ criſpante brachio tergeminos ictus, reddunt argutum ſonum.* Verùm ſit cujus Boſſio libuerit laudata deſcriptio; illud ſatis mirari nequeo, quod cum apertè Apulejus, ſivè Bernartius Siſtri figuram rotundam ſimilitudine Balthei recurvati, dixerit; Is quęratur ſe in Bernartij deſcriptione Siſtri figuram de-

desiderare ; *etenim*, ait, *non eam facit orbiculatam, non trigonam, non ovalem*. Quî enim fieri poterat ut clariùs orbicularem digito ostenderet, quàm asserens *laminâ in modum balthei recurvatâ* constare ? Isidis, ac Nephtios vultus sæpiùs defuisse probant Sistra in superioribus delineata : at cum adfuerunt, infrà motales virgulas sedem ut plurimùm obtinuere, eomet loco, quo in Pignoriano, ac in nostro Pinea, seu aliud quoddam parergon affixa spectantur. Testis locupletissimus id firmat ipsemet Plutarchus ipsis verbis, quibus Bossius universam suam Sistri descriptionem munire satagit. Mihi met ipsi vix fidem adhibui, cum hominem mordicùs defendentem legi Vultus hujusmodi suprà motales virgulas collocatos, & eo nomine Pierium Valerianum traducentem, ob illos infrà constitutos ; nec non in ejus rei probationem Plutarchi afferentem ea, quibus disertè repugnat, rem ait ; τῇ δὲ ἁψῖδι τοῦ σείστρου κατὰ κορυφὴν ἐντορεύουσιν αἴλουρον ἀνθρώπου πρόσωπον ἔχοντα. Κάτω δὲ ὑπὸ τὰ σειόμενα, πῆ μὲν Ἴσιδος, πῆ δὲ Νέφθυος πρόσωπον, αἰνιττόμενοι τοῖς μὲν προσώποις γένεσιν, Καὶ τελευτήν ; *curvamini Sistri in vertice insigunt Felem humanam faciem habentem infrà verò sub his quæ quatiuntur aliquandò quidem Isidis, aliquandò autem Nephtios vultus,*

tus, indicantes ipsis ortum, ac obitum. Quid clatiùs afferri poterat à Bossio ad Bossij sententiam evertendam? Illud tamen animadvertendum est ex Plutarchi testimonio haud aptè colligi immutabilem fuisse Sistri figuram; ac ideò quandòque ea met, quam ex Plutarchi verbis refellimus potuisse obtinere. Sed cum ad modum Balthei recurvata fuerunt Sistra (ut plurimum autem talia fuisse ostendunt vetera monumenta) vix alio loco collocari potuerunt Isidis, ac Nephtios vultus, quàm infrà motales virgas; cum verò Bossij Sententiæ responderunt, benè suprà easdem infigi quiverunt. Eamdem incostantiam meo periculo agnosce in principe Sistri parergo, Fele videlicet; sæpius enim nudum novimus Sistrum ut in Numismatibus, in Mensa Isiaca, apud Gruterum, in Oedipo Kircheriano, & alibi passìm; quandòque Felis loco Sphingem appositam ut in Pignoriano, vel Lori florem, ut in Augustini gemmis, vel aliud quodpiam; sepissimè Felem ipsum, sed Felis, non hominis faciem habentem, ut in tuo. Quamvis enim Plutarchus adhibitum scribat, ac vertici Sistri rotundo affixum αἴλουρον ἀνθρώπου πρόσωπον ἔχοντα; ipse tamen non obscurè innuit nil Religioni, nil Mysterijs obfuisse, cum aberat hominis facies, qui dum phi-

philoſophicam tùm cæterarum partium Siſtri , tun. Felis illuſtrationem accuratè tradit, multa de Felis fœcunditate, multa de Lunæ ,ac ejuſdem affectuum convenientia diſſerit, nullam de Felis humanâ facie meditationem in medio profert. In Menſa Iſiaca bis Siſtrum offendimus ponè quod Felis viſitur, ſed is humanam faciem nullibi habet.

Viſâ in ſuperioribus Inconſtantiâ, qua Siſtrorum figura laborat, tui hic brevem deſcriptionem exhibere operæ pretium duco, qualis vericulo expreſſi , humaniſſimè miſiſti, ut à cæterorum turbâ diſtinguatur, ac quiſquis hæc leget, Icone quamvis deſtitutus , quid huic peculiare, quid cum alijs commune contigerit , dignoſcere poſſit. Manubrio longo ſatis quò dextera agitetur, ut criſpante brachio tergeminos ictus, argutus edatur ſonus, lamina ęrea adhæret recurvata in ſuperiori parte in modum balthei, at ubi Manubrio jungitur angulos rectos cum baſi efformans. Vertici, Felis caudâ protenſâ, capite arrecto , corpore toto recumbens , inſidet . Is faciem Felis omninò præfert. Quatuor rotundę Virgulæ adunco utrinque altrinſecùs cuſpide, laminam per forulos oppoſitos tranſmeant , itaut liberè hinc indè moveri poſſint. Tres ſuperiori

parti respondentes æquali spatio invicem distant; quarta longiùs ad manubrium accedit. Infra hanc, laminę ubi rotunda figura desinit, Loti folijs (ut quidèm reor) ornata, extrinsecùs bina Symbola affixa cernuntur, quorum unum Nucis pineæ speciem præbet, alterum quamvis in Conum assurgat Pineam tamen dicere non ausim, cum decussatis, ac spiralibus lineolis non distinguatur. Multa cogitanti mihi de hoc parergo, satiùs visum est in medio relinquere quàm longiusculè petita producere.

Sistri totius Opus ejus elegantiæ est, ut hinc priorem conjecturam jure acceperim illud Romanum judicandi à cultissimo Artifice Augustorum tempore elaboratum, eorum videlicet, qui impensiùs Isiacis mysterijs operam dedere, Commodi, puta, vel Caracallæ. Res tamen majoris indaginis est; nec enim quòd Via Aurelia in suburbana Villa Illustrissimi Laurentij de Corsinis inventum fuerit, officit quò minùs potuerit aliundè quandòque illuc afferri Sistrum, cum in dissitas Regiones translata marmora ipsa, moneant Romæ Aegyptio & ipsa ingentia monumenta, ac lapides Romani ultrà postremos Britannos usquè, vel prætio, vel studio in Angliam deportati. Quò itaque ejus rei argumentum aliquod haud leviden-

denſe nanciſcerer, Siſtri tui partes ſingulas excutiendas duxi, ſperans fore, ut hujus non modò elegantiſſimi Monumenti differentiam, ſeu caracterem adinvenirem, & Iſiacorum quorumcumque, quæ vel in hanc diem reperta ſunt, vel in futurum inveniri contingat. Non injucundum autem, nec inutile accidet, ſi aliqua prælibavero de propagatis Iſiacorum Myſterijs, tempora quantùm licuerit diſtinguens, quibus Iſis nomen, ac cultus cæperit obtinere cùm apud Græcos, tùm apud Romanos. Hæc enim lumen haud obſcurum afferre poſſunt preſenti argumento, & infrà dicendis fidem adſtruere.

Hac igitur in re, licet ultrò fatear Iſidem ubiquè terrarum cultam, quod apud Diodorum Aegyptij Myſtæ jactabant, id tamen ità intelligendum reor, ut ſimul noverim fore ut longius à vero aberret, qui indè colligat Iſidis nomen, cultum, attributa, fabulas eaſdem ubiquè terrarum celebratas, antiquis potiſſimum temporibus videlicet antequam Roma rerum undequaque potiretur, ac cum Imperio, Deorum multiplicem ſuperſtitionem Orbi communem efficeret. Si pro rei veritate, ac rigorosè itaquè loquamur, non Iſis, ſed quæ per Iſidem ſignificabatur apud Aegyptios, rerum natura, activæ po-

potentiæ, ac virtutis receptiva ubique terrarum colebatur, at in Aegypto Isidis nomine, peculiaribus, mithologijs, ac ceremonijs, apud alios diversimodè. Id aptissimè explicat Apulejus ubi lib. 11. Metamor. Numen ipsum loquens inducit in hæc verba; *en adsum tuis commota, Luci, precibus rerum Natura parens ...... cujus Numen unicum multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur Orbis. Me primigenij Phryges Pessinunticam Deûm Matrem nominant; hinc Auctochthones Attici Cecropiam Minervam; illinc fluctuantes Cyprij Paphiam Venerem; Cretes sagittiferi Dichtynnam Dianam; Siculi trilingues Stygiam Proserpinam; Eleusinij vesculam Deam Cererem; Junonem alij, Bellonam alij, Hecaten alij, Rhamnusiam alij; & qui nascentis Dei Solis inchoantibus radijs illustrantur Aethiopes Arijque, priscâque doctrinâ pollentes Aegyptij, ceremonijs me proprijs prorsus percolentes, appellant vero nomine Reginam Isidem*. Viden apertè quod dixeram? At aliud in allatis Apuleij, seù rerum parentis Naturæ verbis animaduvertendum puto; indicari videlicet loca singula, ubi idem Numen primùm nomine, ritu, cæterisque incolarum proprijs cultum est ut Numen patrium, cum Madaurensis æuo alibi etiam coleretur saltem ut peregrinum.

Quis

Quis enim de hoc dubitet, qui noverit Apuleij ſeculo ubique Orbis Matrem Deûm non in Phrygia tantum, Minervam extrà Atticam, Venerem non apud ſolos Cypri incolas, cæteraſque recenſitas Deas extrà Urbes, Provinciaſque ab Apulejo deſignatas, ſacra cultumque habuiſſe: Accidit enim ut cum nullus ab Ethnicis error reſpueretur, immò omnia ſuperſtitionis portenta, quo è longiùs diſſitâ regione conquiſita forent, eò alacriùs reciperentur; idem Numen ab eiſdem loci incolis tanquam duo coleretur, & eſſet patrium ſimul ac peregrinum. Sic ibidem locorum culta Mater Deum, Ceres, Proſerpina, Iſis &c. ſic, apud Pauſaniam in Achaicis, in eodem Delubro ſigna aliquot Aeſculapij ſtantia, & ſeorſum Serapidis, & Iſidis, & quod magis mireris apud eundem in Corinthiacis Iſis ipſa duplici Fano, ac duplici nomine culta: Ἀνιοῦσι δὲ ἐς τὸν Ἀκροκόρινθον... ἐστιν Ἴσιδος τεμένη ὧν τὴν μὲν Πελαγίαν τὴν δὲ Αἰγυπτίαν αὐτῶν ἐπονομάζουσιν; *in Acrocorinthum enim aſcendentibus occurrunt Fana Iſidis, alterum Pelagiæ, alterum Aegyptiæ cognomento.* Hæc tamen cum de Iſide ſermo eſt, ad recentiora tempora pertinere multa ſunt quæ ſuadeant. Nam illud certo certius eſt veteres Græcos ingenitâ Gentis vanitate quod ab Aegypto acceperant,

fabu-

fabularum, ceremoniarum, & (si hoc nomine nugas aniles vocare fas est) Theologiæ; id totum tamquam apud se natum venditasse immutatis ritibus, ac mithologijs, indignatione interim frendentibus Aegyptijs, ac Numinum suorum antiquitatem tuentibus. Id patet ex varijs locis, quos recolere juvabit apud Diodori quinque priores Libros; ac fortè idipsum firmare poterunt quæ Tacitus refert Lib.4. Histor. de Ptolemæo, qui *Macedonum primus Aegypti opes firmavit, ac Alexandriæ recens conditæ mœnia, templaque & Religiones addidit*. Isidis itaque mysteria, Cereris, ac Cybelis mysterijs, satiùs fuit Græcis emulari, usque dum fastu cum Imperio seposito, vel immutato, Isidis ipsius Aegyptiæ cultum amplexati sunt. Etenim cum Scriptores, ac Numismata, qui nos docent Isidem Fanis, ac ceremonijs apud Græcos veneratam recentiora sint, mihi videor videre à Romanis potiùs, quàm ab Aegyptijs superstitionem Aegyptiacam accersitam, vel Religionis formâ in deteriùs abeunte, vel assentationis causâ ergà Urbem rerum jam demùm potitam. Hinc asseri posse autumo Urbem Romanam cętera palsìm Numina à Gręcia, Isidem ab Aegypto accepisse, ac Græciæ non modò, sed cæteris etiam Provintijs primò commu-

mu-

municasse. Nec enim Isidis cultus apud Romanos recentior est quàm apud Græcos, sed tunc demùm apud Græcos invaluit, cum Romæ jam diù viguisset. Spartiani quidem ævo hic apud nonnullos credebatur recentissimè Romam allatus, quos tamen is haud audiendos clamat; *mihi mirum videtur* ait *quemadmodum Sacra Isidis per hunc* (Caracallam) *Romam venisse dicantur, cum Antoninus Commodus ità ea celebraverit ut Anubim portaverit, & Pausa sederet* (Quid sit *Pausa sedere* vix intelliges ex Casaubono ad hunc locum; Salmasius autem in notis ad Spart. *Pausas* in Sacris Isidis multis illustrat, & Corpus Pausariorum ex lapide à Reinesio vexato revelat, quem vide) Verùm, & ante Commodum jamdiù Isiaca Romæ frequentia. Domitianus ferente Suetonio è Capitolio ante Solis ortum Isiaco velatus amictu, cum cæteris sacrificulis litabat. Tito apud Xiphilinum in Campaniam abeunte ad visendam calamitatem propiùs ex Veseni incendio partam Romæ plurima incendio conflagrasse narrantur ædificia, inter quę Serapidis, ac Isidis Fana. Othonem Sacra Isidis sæpe in lintea religiosaque veste propalàm celebrasse Auctor est supra laudatus Svetonius. Poetæ Augusto coævi, seculo illo Isiaca Mysteria celebra-

ta probant, quamuis infamia ; laborasse ijdem ostendant; necnon M. Agrippæ Aedilis decretum quoque cavens, ne Fana intrà Urbem diruta intra D lapidem ædificarentur. Demùm anteà Calpurnij Pisonis, & Auli Gabinij Consulatu, eorundum Sacrorum proscriptio per Arnobium, ac Tertullianum asserta, illa haud in Urbe novitia demonstrat, sed à satis producto tempore per manus tradita, cum jam diù in Urbem recepta pedem ibi fixissent. Hinc facilè colligere est, quod cum Minutius Felix in Octavio de Osiridis, ac Isidis superstitione differens ait; *hęc Aegyptia quondam, nunc, & Sacra Romana sunt*; vel tempus illud metitur, quo eandem pacificè Romæ celebrabantur, postquam videlicet Imperatores Augusti fœdis hisce neniis nomen dedere, vel horum novitatem auget ad creandam invidiam

Hęc Longiùs fortè quàm par fuisset in antecessum statuenda duxi, quò primùm constaret absurdè allucinari, qui statuunt Romę Sacra Isidis eadem prorsus cum Sacris Magnæ Deúm matris fuisse, ut censuit Ouzelius ad allatum Minutij locum. Quod operæ pretium fuerat refellere: poterat enim conjecturam infrà mox afferendam infirmare. Sacra etenim magnæ Deûm Matris

novi-

novimus quo cultu è Phrygiâ allata ęque, ac quo tempore, ex Livio potissimùm, qui rationem accersendi Numinis, cęremonias, pompam distinctè narrat ita quod de his dubitari nequeat; nec inde scimus hujusmodi Mysterio aut suspecta, aut ab Urbe eliminata; tempus verò receptæ Isiacę Superstitionis, postmodùm non semel in crimen vocatę, divinare vix possumus. At nomen Isidis Romæ cultæ Sacra diversa à Sacris Cybelis sati superque evincit Osiris ibidem cultus? habemus autem id disertè ab Apulejo assertum, qui se denuò initiatum in Osiridis Mysterijs Romæ, memorat, postremis metamorphoseon paginis. diuersa igitur Isidis, ac Cybelis Sacra quamvis aliàs idem Numen; quinimmò Isis ipsa Romę duplici saltem nomine culta Pelagię videlicet ac Aegyptiæ, quod cum Isidem ipsam Roma Grecię prębuisset, postmodum abs Gręcia Romam recepisse reor, multiplicato superstitionis foenore; nam & apud Germanos Pelagię cultum à Gręcia propagatum jurè sensit Colerus in Taciti Librum de Moribus Germanorum. Pelagiam verò Isidem Romę cultam ostendit vetus Lapis repertus extrà Portam Flaminiam teste Giraldo Sint. 12 de Dijs Gentium, quem invenies in Thesauro Gruteriano relatum. An tandem coaluerint Cybe-

lis, ac Isidis cultus res est implicita. Pignorius coaluisse non semel monet, sed Carmen ex quo id evincere conatur Tertulliano, vel Cypriano tributum ad Senatorem Apostatam, nec Tertullianum, nec Cyprianum habuit Auctorem, quid quid sit de ejusdem genuino intellectu. Quæ statim de Juliani Apostatæ superstitione in fine sequentis paragraphi dicam, ad hance rem pertinent.

Quòd autem non Aegyptiacum, sed Romanum credam Sistrum cujus effigiem misisti, efficit Parergon illud alteri laterum laminæ affixum, videlicet Nux Pinea. Pinearum siquidem usum in Isiacis nusquam reperi obtinuisse apud Aegyptios; quamvis in eam rem universa Aegypti Mysteria in Oedipo Kircheriano reserata, Pignorii commentaria, ipsam Isiacam Mensam sæpius lustraverim, consultis itidem Jamblico, Plutarcho, Luciano, Apulejo, cæterisque qui ad manus fuere, ex quibus lucem foenerari potuissem. Tu ipse eadem, ac alia documenta recole, & si quid secùs invenies, me errantem corrigas velim, gratias ex corde repensurus: Nec tamen in hanc rem novitate laborantem me agere credas argumento merè negativo, ut ajunt; nam è contrario apud Isiaca Romana Pinearum usus satis super-

ſuperque probatur ex uno Lampridij loco, ubi Commodi ſævitiem inter ipſa myſteria exercitam recenſens Is, refert eum *Iſiacos pineis vſque ad perniciem pectus tundere coegiſſe*. Fatear equidem Pinum Cybeli dicatum, ob ea quæ facili negotio apud rerum hujuſmodi Scriptores videre eſt; ſed & Iſidis in Sacris uſu veniſſe apud Romanos allata Lampridij verba teſtantur. Id fortè accidit quod cum Iſiacâ infamiâ ſatis laborarent in Urbe, quarè & proſcripta à Magiſtratibus, & à ſeverioribus damnata fuere, & cum aliàs idem Numen diverſis licet ceremonijs coleretur, paulatim ad abigendam invidiam, potuerunt ex Magnę Deûm Matris Myſterijs ritus nonnulli, ad Iſiaca transferri. In horum cenſum præter Pineę uſum referenda ſunt alia, quę cauſam ſufficere potuerunt aſſerentibus tandem utraque coaluiſſe: Juliani certè Apoſtatæ temporibus ipſis, quamvis in preſenti argumento recentiſſimis, mihi videor videre Iſidis nomen, ac cultum. Numiſmata, ſi cętera deſint, id probant in quibus Siſtratam Iſidem, Siſtratum Anubim novimus. Inſuper Imperatorem ipſum Taurobolio, Criobolioque initiatum clamat Hiſtoria, quod uſque à Marci Aurelij temporibus Cybelis, ac Mithræ initia capiendi mos ſolemne fuerat.

Vel

Vel igitur non coaluere, vel si coaluere, oblitterato Cybelis nomine, quod non admiserim, Isiacorum nomine audiverunt.

Hæc si vera sunt ut mihi videntur usque dum meliora docear; habeo quod mihi gratuler de ratione reperta, ob quam Clarissimi Scriptores Monumenta nonnulla illustrantes inconstantiâ, ac caligine laborent, dum eadem nunc Isidi, nunc Cybeli adscribunt. Vide Jacobi Tomasini opus dilucidans Cecropij Votum; hic enim passìm nunc Cybeli, nunc Isidi Votum ipsum tribuit; ac tùm maximè cùm de Nuce Pinea agens; scribit; *arcanum enim, & veluti vaticinium in apice pollicis representatur nuce pinea, qua usos fuisse Isiacos narrat in Commodo Lampridius*; & statim addit; *pinus enim tutelam gerebat Cybele &c.* Alexander Niger Lapidem Q. Manilii Cordi illustrans doctâ sanè dissertatione (quam cum seorsìm primùm edita fuisset, novissime Marmoribus suis non è Felsineo modò, sed ex incognito undique Antiquitatis penu depromptis inservit humanissimus Dominus meus Comes Carolus Cęsar Malvasia) Pineam in summo lapide locatam cum cæteris parergis ex Aegyptiaca superstitione, vel, si Dijs placet, sapientiâ derivans, ex ea postmodùm non modò Cybelem à Manilio cultam argu-

gumentatur, licet Cybelis cultus ad Aegyptios nunquam ſpectaverit; ſed etiam Cybelis, & Cereris myſteria, omninò Romæ diverſa confundit, & utrique Pineam adſcribit. At quod magis mireris recole paulò attentius Opus ſanè egregium Laurentij Pignorij, quo Magnæ Deûm Matris, & Attidis initia illuſtrat ex duplici vetere Tornacenſi Monumento. De Attidis Sigillo non habeo quod reponam, ſecùs de manu ærea inani, ac apta quæ haſtili inſereretur. De ea ſiquidem diſſerens Pignorius mihi videtur invitâ Minervâ rem agere; nam cum ſemel ex ea Magnę Deûm Matris initia explicanda ſuſceperit, quidqud offendit certo certius ad Iſidem ſpectans, vel Cybeli adjudicat, vel Cybelis oblitus ad Iſidem intrahit. Sic cum de tota manu apertè dixerit inanem conflatam quò præferretur in pompa ipſi Deûm Matri; adjungit, *qua planè ratione Antiſtitum unus Iſidi pręgeſtabat, æquitatis indicium deformatum, manum ſiniſtram porrectâ palmulâ, ut ſcribit Apulejus lib.* 11. *Methamorph.* Subdit quidem cenſuram præſentiens, Iſidis ſacra non abijſſe à Myſterijs Matris Deum; ſed quid inde? nunquid eadem fuere? Ulpium Egnatium Faventinum Patrem, & Hierocerycum D. S. I. M. ac ſimul etiam Sacerdotem Iſidis extitiſſe; ſed nun-

quid

quid. idem non poterat duplici Numini esse initiatus? C. Menatium Severum Matri Deûm, & Isidi Fanum refecisse: at inde forte pompam utriusque unam fuisse conficiet? Idem probarent de Numinibus aliàs dissitissimis, ac diversis, Lapides, quorum copiam ex Gruteriano Thesauro nancisci poterat. Inde per partes explicans Manus æreę symbola, cum pervenit ad Sistrum cogitur invitus ambiguo tamen verbo Crepitaculum hujusmodi, & Cybeli tribuere, novo quidem, & usque in hanc diem inaudito asserto, siquidem sentiat Sistrum in Deûm Matris Mysterijs adhibitum; verba enim ut dixi ambigua sunt. *Sistrum* ait *ad Isidem pertinet, neque ideò abludit à Magna Matre. Marcianus enim Capella lib. 2. in Lunari circulo statuit Sistra Niliaca, Eleusiniam Lampada, Arcum Dictynnæ, & Tympana Cybeleia.* Hisce tamen tantùm conficiet Pignorius convenientia inter utraque mysteria, nunquam verò Sistrum magnę Deûm Matri dicatum. Iterum de Pinea agens Pollicis fastigio affixâ, Pinearum usum in Romanorum Isiacis ex allato Lampridij loco dignoscit, sed præconceptæ sententiæ adhærens cantiunculam recinit *indiscretas*, videlicet, *fuisse horum Numinum Isidis, ac Cybelis apud Antiquos rationes*. In Appendicula veritatis fidiculis tor-

tus

tus apertè porrò asserit, *licèt hæc Mysteria (ut non semel monuimus) coaluissent, ut satis superque indicant Carmina Cypriani, seu Tertulliani ad Senatorem Apostatam, tamen Isis alio cultu & schemate fingebatur*, Ità profectò se res habuit, nec tàntùm de Idoli cultu id verum fuit, sed de cultu, ac pompis quo mysteria ipsa peragebantur. Quarè monumentum uniuersum non Matri Deûm, sed Isidi potiùs deputandum, ac ex Romanis Isiacis Sacris ad Commodi tempora referendum, puto, paratus saniori judicio subscribere.

Hæc sunt quæ tandem de tuo exquisito veterum Romanorum Isidi devotorum Monumento in medium afferenda censui, potiùs ut humanitati tuæ quod poteram rependerem, quam quod digna Te, digna Urbe in qua degis me scripturum fore sperarem. Ipse fœliciùs universa rimari quiueris, ac si fortè pro ea qua emines animi moderatione alterum in meditationis societatem vocare volueris, eximii Viri Urbis ac Italiæ nostrę decora aderunt Ciampinius, Fabrettus, Bellorius, qui rem intimè perlustrent, ac hiis quæ ipse ineptè effutiui spongiam adhibeant. Vale.

Vidit D. Antonius Baruchi Pœnitent. pro Illuſtriſsimo, & Reuerendiſs. D. D. Iacobo Boncompagno Archiepiſc. Bononiæ, ac Principe.

Imprimatur.

Vicarius Generalis S. Officij Bononiæ.